

tum. Quia tunc valet appellatio ab interlocutoria absque alia expressione causæ, utpote quæ ex allegationibus juris deduci potest. Maranta cit. tit. de Appellation. n. 156. post Baldum in l. Minoribus. c. De his, qui ut indigni, etc.; Philipp. Francum, c. Ut debitus. quæst. 11. h. t. et alios; Scaccia, d. quæst. 4. n. 34. allegans plurimos alios.

105. Aut, quando ea antea non opposita, adhuc exprimitur ante elapsum decendum. — Fallit quarto, quando causa gravaminis non fuit quidem apposita in ipsa appellatione a sententia interlocutoria, adhuc tamen exprimitur postea ante elapsum decendum: nam quia hoc tempus concessum est appellandum, sufficit intra illud causam appellationis exprimere. Scaccia, loc. cit. n. 37. post Francum, d. c. Ut debitus. quæst. 15. h. t. et Angelum de Aretio, in l. I. § ult. n. 10. ff. de Appellat. et relation.

106. Vel, si de consuetudine aliter sit receptum. — Fallit quinto, si aliter de consuetudine alicubi receptum sit: puta, quod ab interlocutoria possit in continenti viva voce appellari: nam talis consuetudo valet, eo quod solemnitas appellandi sit juri duntaxat positivi humani. Gailus, lib. I. Practic. observat. 130. n. 3. allegans Ferrariensem in Forma appellat. ab interlocut. §. Causis. n. 4; Angelum Concl. 267. n. 1. Philipp. Francum, d. c. Ut debitus. n. 17. h. t. et praxin cameræ.

107. Et quando nemine excipiente, judex defert tali appellationi. — Fallit tandem, quando nemine excipiente contra talem appellationem, judex defert eidem: quia tunc appellatio ab interlocutoria, etiam non expressa causa ipsius valet, ac devolvit causam ad Superiorem; cum judex inferior deferendo tali appellationi, quantum in se fuit, a se jurisdictionem abdicaverit, et causæ totius decisionem in Superioris potestatem transtulerit, c. Cum appellationibus. h. t. in 6; Scaccia cit. cap. 1. § Post hoc. n. 14. de Appellat. in 6.

108. In appellatione a diffinitiva non est necesse, causam appellationis in specie exprimere. Si ea fiat in continenti, sufficit dicere: Appello. — Resp. IV. E contra in appellatione a sententia diffinitiva, non est necesse causam appellationis in specie exprimere; sed sufficit dicere in genere, se esse gravatum, aut appellare a sententia iniqua: et si in continenti post latam sententiam diffinitivam fiat appellatio, satis est dicere, « Ap-

pello: » quo facto tenetur judex appellationi deferre. Ita communis; estque expresse decisum in l. II. ff. de Appellation. juncto cap. 1. h. t. in 6. et Glossa hic §. Statuit.

109. Ratio disparitatis inter appellationem a diffinitiva, et interlocutoria quoad hoc. — Ratio hujus, simulque diversitatis inter appellationem a diffinitiva et interlocutoria, est: quia in appellatione a diffinitiva frustra allegaretur causa in specie, cum de hac judex a quo, utpote jam functus suo officio, amplius cognoscere non valeat. Secus est in appellatione a gravamine, vel ab interlocutoria: nam tunc judex a quo potest de gravamine cognoscere, et illud suadente æquitate remittere, eoque revocato in causa principali procedere; prout habetur decisum c. Cum cessante. 60. h. t. Æquum proinde est, ut in hac appellatione causæ ejus in specie exprimantur, ipsique judici a quo proponantur, ut deliberare possit, num gravamen ob ejusmodi causas revocare, vel appellationi deferre velit.

110. Accedit, quod appellans ab interlocutoria, non possit alias causas in appellatione prosequi, quam nominatim duntaxat expressas, Clem. Appellanti. h. t. E contra vero in appellatione a diffinitiva, licitum est utrique parti, novis probationibus uti, ac prius non deducta deducere, non probata probare, l. Per hanc. c. de Temporib. appellat. Unde consequens est, ibi causas appellationis necessario esse exprimendas, conformiter dictis supra numer. 99. et 100. Secus loquendo de appellatione a diffinitiva, argumento a contrario desumpto.

111. Limitatur istud in certis casibus. Appellans a diffinitiva tenetur exprimere causam appellationis in omnibus casibus, in quibus de jure prohibitum est appellare, et cur? — Resp. V. Patitur tamen etiam hæc conclusio quasdam limitationes, seu fallentias. Et primo quidem ipsa est limitanda in omnibus illis causis seu casibus, in quibus de jure prohibitum est appellare a diffinitiva: tunc enim, si nihilominus quis injuste se gravatum senserit, ac proinde ad Superiorem provocare voluerit, debet exprimere causam appellationis, atque illati gravaminis; alioquin appellatio non valebit. Ita Glossa in c. Romana. § Si autem. §. Mandetur. h. t. in 6; Abbas, c. Cum speciali. 61. § Porro. n. 6. h. t.; Maranta, d. tit. de Appellat. n. 155; Pirhing, h. t. n. 123. et alii. Ratio est, quia si appellatio est de jure prohibita, stat con-

tra appellantem juris præsumptio ideoque judex non tenetur ei deferre, nisi ejusmodi præsumptio allegata justa causa elidatur.

112. Vel, quando causa committitur delegato sub clausula, Appellatione remota. — Atque istud ampliatur, sive appellatio sit prohibita a lege, sive ab homine: ut quando causa committitur delegato sub clausula, « Appellatione remota: » quia in appellatione contra sententiam diffinitivam tunc latam debet exponi causæ; Scaccia cit. quæst. 4. de Appellat. n. 29; Maranta, d. n. 155. allegans alios; de quo plura inferius § 10. n. 290. et 293.

113. Item in appellatione ab executione sententiæ, et a correctione, ac hujusmodi. — Limitatur eadem conclusio in appellatione ab executione sententiæ diffinitivæ. Cum enim appellatio ab executione generaliter sit prohibita, l. Ab executione. c. quorum appellationes, etc. et can. Ei, qui. § Ab executione. 2. q. 6. cum concordantiis: hinc appellans ab executione sententiæ diffinitivæ debet dicere causam, quare appellat; alias appellatio non valet. Speculator, tit. de Executione sententiæ. § Nunc dicendum. n. 9; Scaccia, d. quæst. 4. n. 20. hoc ipsum tenens de appellatione a correctione. Nam etiam a correctione de jure prohibitum est appellare, nisi modus excedatur, c. Ad nostram. 3. h. t. juncto summario, et doctoribus ibid. ac proinde appellans a correctione sibi per superiorem facta, tenetur causam appellationis exprimere: alioquin stat præsumptio juris contra appellantem, sicque non tenetur judex hunc admittere, donec præsumptionem hujusmodi allegata justa causa elidat. Atque hoc ipsum, servata proportione, est dicendum de cæteris casibus, in quibus jura litigantibus appellationem denegantur, de quibus ex professo dicitur infra cit. § 10. n. 268. et seqq.

114. In appellatione interposita per tertium a diffinitiva, debet exprimi causa ipsius; et cur? — Limitatur tandem dicta conclusio in appellatione interposita per aliquem tertium a sententia diffinitiva propter suum interesse: quia, nisi exprimat causam rationabilem, per quam doceat summarie, et aequaliter de suo interesse, non auditur appellans; ut l. A sententia. ff. h. t. et notat Bartolus, ibid. n. 9. et Abbas c. Cum super. n. 5. de Sentent. et re judicat. Scaccia cit. n. 29. et quæst. 17. n. 106. et seqq. allegans doctores communiter. Siquidem appellatio

a sententia non admittitur, nisi propter gravamen ex ea cuiusdam illatum: atqui ex sententia inter alios lata non præsumitur gravamen cuiusdam tertio inferri, nisi ostendatur ratio, seu causa talis gravaminis; alioquin enim procedit regula illa: « Res inter alios acta aliis non nocet, » juxta textum l. I. c. Res inter alios acta, etc., et cap. penult. de Sentent. et de re judicat. cum similibus.

115. Appellatio an necessario debeat fieri in scriptis? Affirmatur, si fiat appellatio ab interlocutoria ad Papam. — Quæritur IV. An appellatio debeat necessario fieri in scriptis vel etiam aliis modis fieri possit? Resp. I. Appellatio a sententia interlocutoria, vel gravamine extrajudiciali per judicem illato, si fiat ad papam, necessario debet fieri in scriptis. Textus est in cap. 1. h. t. in 6. ubi appellans ad papam ab interlocutoria, vel gravamine extrajudiciali, jubetur appellare in scriptis, et causam exprimere, et apostolos petere: atque amplius declarat Glossa ibid. §. Vel extra. et §. Interlocutoria. et Vivianus, in Rational. jur. eod. cap. 1. et Barbosa, ibid. n. 1. et seqq. et alii.

116. Utrum hoc ipsum procedat in appellatione ab interlocutoria ad inferiores judices directa, dubitatur; et cur? — Additur tamen, « si fiat ad papam. » Utrum enim decretalis illa, quæ expresse loquitur de appellatione ad papam, etiam locum habeat in appellatione ab interlocutoria, vel gravamine ad inferiores judices interposita, dubitat Glossa, ibid. §. Ad nos. et Pirhing, h. t. n. 109; Vivianus, loc. cit. et alii. Ratio dubitandi est, quia Decretalis illa solum loquitur de appellatione ad papam, simulque est penalis; ac proinde videtur restringenda potius, non amplianda ad inferiores judices.

117. Affirmativa sententia magis placet. — Verum affirmativa sententia magis placet Glossæ et aliis; videlicet, item esse dicendum de appellatione hujusmodi interposita ad inferiorem judicem ordinariæ, qui per simplicem querelam audiri, et cognoscere potest. Neque obstat, quod dicta decretalis expresse loquatur solum de appellatione ad papam: quia textus ille intelligitur quidem, atque procedit, « maxime si ad Papam appelletur; » non tamen excluduntur hujusmodi appellationes, quæ fiunt ad inferiores judices, cum de istis eadem ratio militet.

118. Quod ab interlocutoria debeat indistincte appellari in scriptis, plures tradunt. Fallit hoc in nonnullis casibus. — Atque ideo,

quod ab interlocutoria debeat indistincte appellari in scriptis, tradit Speculator, tit. *de Appellation.* § *Qualiter autem.* n. 1. istud probans ex eod. cap. i. h. t. in 6; Maranta cit. tit. *de Appellat.* n. 138; Scaccia, quæst. 4. *de Appellation.* n. 9. post Francum c. *Ut debitus.* q. 7. n. 16. h. t. et alios. Dummodo hinc excipias appellationem ab interlocutoria habentem vim diffinitivæ, sicut et appellationem in causis summariter et de plano tractandis, ac hujusmodi, conformiter dictis supra n. 102. et seqq. Nam in his appellari potest in continenti viva voce, ob rationes superius altaras.

119. *Appellatio a sententia diffinitiva potest fieri vel in continenti, sive stante pede.* — Resp. II. Appellatio a sententia diffinitiva potest fieri dupliciter. Primo quidem in continenti, sive (ut alii loquuntur) « Stante pede, » et iudice adhuc pro tribunali sedente : et tunc ea fit viva voce, « et satis erit, si dicat appello, » per textum expressum in l. II. ff. *de Appellat. et Litigatoribus.* c. eod. Quamvis hoc ipsum mox sit inserendum actis publicis; et procedat solum in appellatione a sententia diffinitiva : nam appellatio interlocutoria, vel a gravamine aliquo semper debet fieri in scriptis, cap. i. h. t. in 6.

120. *Vel ex intervallo; et debet sic fieri in scriptis.* — Deinde appellatio a diffinitiva potest interponi ex intervallo, tamen intra decem dies : et tunc ea est facienda in scriptis, sive per libellum, quem vocant *Appellatorium*; quique debet continere personam appellantis, personam iudicis a quo appellatur, et sententiam a qua fit appellatio, l. I. § fin. ff. h. t. personam vero adversarii, contra quem fit appellatio, etsi bonum sit addere, tamen libellus appellatorius de necessitate non debet continere, l. *Scio.* 3. ff. eod.

121. *Potest fieri non solum per verbum Appello, sed etiam per verba æquipollentia : idque exemplificatur.* — Resp. III. Non solum per verba expressa « Appello, » vel « Provoco, » sed etiam per verba æquipollentia potest interponi appellatio. Ita Scaccia, *de Appellation.* quæst. 4. n. 19. et alii. Idque clare desumitur ex c. *Ad audientiam.* 34. h. t. ubi gravatus a iudice, si se subiciat protectioni superioris, censetur appellasse, licet non fuerit usus hoc verbo, « Appello. » Quod intellige cum Abbate, ibid. n. 1; Barbosa, n. 2; Scaccia, loc. cit., n. 22. et aliis, dummodo exprimentur, atque servantur omnia necessaria ad appellationem, in tali submissione,

puta dicendo : « Domine, contra gravamen mihi illatum nolo amplius coram vobis litigare, sed submitto me, meaque omnia protectioni papæ : » petendo postmodum apostolos, et alia observando, quæ ad appellationem requiruntur. Accedit ratio : quia quando non requiritur certa verborum formula ad substantiam actus sufficit, mentem exprimere verbis æquipollentibus, c. *In his de Verb. Signif.* Pirhing, h. t. n. 103. Unde ulterius ad appellationem sufficit dicere « Proclamo, » vel « Provoco » a tali sententia, seu « conqueror » de ea, aut hujusmodi : quia non refert, quid de æquipollentibus fiat, arg. ult. ff. *Mandati.* Scaccia cit. n. 18. istud cum aliis intelligens, quando per verba æquipollentia constat de mente appellantis.

122. *Imo potest etiam facto fieri. Plus est facto provocare, quam verbo.* — Resp. IV Non verbis duntaxat, sed etiam ipso facto potest appellatio fieri : sic enim itineris arreptio ad superiorem habet vim appellationis, dummodo servantur ea, quæ cæteroquin requiruntur ad appellationem. Ita communis; et habetur derisum c. *Dilecti filii.* 52. h. t. addita ea ratione : « Quia plus est facto provocare, quam verbo : » nam plus est, factis declarare animum suum, quam verbis; imo verba quandoque sunt falsa, non facta.

123. *Dummodo servantur ea, quæ cæteroquin ad appellationem requiruntur.* — Additur, « dummodo servantur ea, quæ cæteroquin requiruntur ad appellationem. » Hoc est, ut appellare volens iter arripiat ad legitimum iudicem, petat apostolos, exprimatque causas gravaminis, v. g. dicendo superiori : « Domine episcopo, vos me gravastis in tali articulo, circa quem nolo amplius litigare coram vobis, sed volo ire ad papam; et hinc instanter peto apostolos. » Tunc enim, quamvis non exprimat verbum, « Appello, » itinere tamen ad papam habetur pro appellante : quia non refert, quid de æquipollentibus fiat, ut proxime dictum. Abbas cit. c. *Dilecti filii.* 52. n. 4. *de Appellat.*; Pirhing, h. t. n. 95. et 96. et alii. Quod si prædicta non servantur, censetur quis renuntiasset appellationi, nec sufficit sola itineris arreptio, aut missio ad superiorem pro appellatione proseguenda, c. *Ab eo.* h. t. in 6.

## § V.

## DE APOSTOLIS, SEU LIBELLIS DIMISSORIIS APPELLATIONUM.

124. *Apostoli in proposito, qui; et unde sic dicantur?* — Quæritur I. Quid et quotuplices sint apostoli? Resp. I. *Apostoli* in proposito, dicuntur libelli dimissorii (ut vocantur in rubric. ff. *de Libellis dimissoriis*), seu litteræ dimissoriæ, quas iudex a quo appellatum est; transmittit ad iudicem ad quem, sive ad eum, qui de appellatione cogniturus est; in eisque testatur, Titium v. g. appellasse a sententia sua, quam inter ipsum et Cajum circa talem causam tulerat. Textus est in l. I. ff. *de Libellis dimissor.* Et tales libelli dimissorii appellationum, vulgo dicuntur *apostoli*, hoc est, *missi* : quia mittuntur ad iudicem ad quem, ut de causa appellationis instruat. Unde impræsentiarum per apostolos non intelliguntur Petrus et Paulus, vel alii et collegio apostolico Christi Domini. Glossa in cap. i. §. *Petat apostolos.* h. t. in 6.

125. *Apostolorum hujusmodi quinque sunt species.* — Resp. II. Hujusmodi apostolorum quinque sunt species. Ita Speculator, tit. *de Appellationibus.* § *Sequitur videre.* n. 1; Abbas c. *Bonæ memoriæ.* 51. n. 9. h. t.; Scaccia, quæst. 13. *de Appellation.* n. 3. et alii. Ratio est, quia apostoli possunt peti, ac dari tum in iudicio, tum extra iudicium : ex quibus illi, qui dantur in iudicio, sunt vel dimissorii, vel reverentiales, vel refutatorii : qui vero extra iudicium, generatim extrajudiciales dicuntur; et sunt vel conventionales, vel testimoniales. Idque patebit explicando singula membra : Siquidem.

126, 127 et 128. *Apostoli dimissorii, Apostoli reverentiales et apostoli recusatorii, qui et quomodo hi dandi?* — « Apostoli dimissorii » dicuntur litteræ ad iudicem superiorem directæ, in quibus iudex a quo appellati deferens testificatur de appellatione interposita, et a se admissa. Et de his fit mentio can. *Ab eo.* 2. q. 6. ibi : « Ab eo, a quo appellatum est, ad eum, qui de appellatione cogniturus est, dimissoriæ litteræ dirigantur, quæ vulgo Apostoli appellantur. » Similia habentur l. I. ff. *de Libellis dimissor.* Et hi libelli, sive apostoli, dicuntur dimissorii : quia, ut notatur l. *Dimissoriæ.* ff. *de Verb. signif.* per hujusmodi litteras « causa ad eum, qui appellatus est, dimittitur : » nam iudex concedendo apostolos dimissorios, hoc ipso ex-

primit, quod deferat appellationi, sicque appellantem a sua potestate, et jurisdictione dimittat. Scaccia, *de Appellation.* quæst. 13. n. 10. cum aliis.

« Apostoli reverentiales » vocantur, quando iudex a quo deferat appellationi, eamque admittit, non ob justitiam causæ, sed ob reverentiam iudicis superioris, ad quem fuit appellatum. De hac fit mentio cap. i. h. t. in 6. ibi; « Vel sit appellationi forsitan ex superioris reverentia sit delatum. » Ubi Glossa §. *Delatum.* in addit. ait, hoc fieri solere in dubio, quando nimirum dubitatur de veritate appellationis, aut de ejus justitia; puta, propter diversitatem sententiarum inter doctores.

« Apostoli refutatorii » sunt, quos dat iudex non deferens appellationi, experimende simul causam, cur appellationem non admisserit. Debet enim hujusmodi causa exprimi, cap. i. h. t. in 6. et l. *Sciendum.* ff. *de Appellat. recipiend.* Alias, si absque causa iudex appellationem non admittat, punitur, l. *Quoniam.* C. h. t.

129. *Non obstante, quod appellatio per iudicem inferiorem non fuerit admissa, nequit is procedere ad executionem.* — Cæteram his non obstantibus, seu non obstante, quod appellatio per iudicem inferiorem non fuerit admissa, nequit is ea interposita procedere ad executionem sententiæ. Nam ut l. un. ff. *Nihil novari appellatione interposita,* dicitur, « Appellatione interposita, sive recepta sit, sive non, medio tempore nihil novari oportet. » Ne videlicet interim, dum per superiorem deliberatur, an appellatio recipienda sit, nec ne, per executionem iudicis inferioris fiat præjudicium appellanti.

130. *Notabilis differentia inter apostolos dimissorios, atque reverentiales; et inter apostolos refutatorios. Iudex a quo deferens appellationi abdicat a se jurisdictionem et transfert causam in superiorem.* — Interim est notabilis differentia inter memoratos apostolos. Nam si iudex a quo detulit appellationi ab interlocutoria, vel gravamine extrajudiciali (prout fit per apostolos dimissorios, ac reverentiales) censetur a se omnem jurisdictionem abdicare, et causam in superiorem transferre : unde poterit iste, si velit, in causa procedere, etiamsi iudicaverit appellationem esse frivolum, et frustratoriam; per textum in c. *Cum appellationibus.* § *Si vero.* h. t. in 6. ubi istud sequentibus verbis statuitur : « Si vero iudex admittat eandem, licet tam